EPITHALAMION IN NUPTIAS ORNATISSIMI VIRI, VERA NOBILITATE ET VIRTUTE...

Ioachim Wenceslaus

Digitized by Google

EPIGRAMMA AD SPONSVM, DE ORNAMENTIS Mulieris οἰκουρῦ & probæ.

Præclarum meritò Dei parentis,
Vxor quæ Dominū timet ſupremū,
Eſt donum: gelido magis quod auro
Fulget, lucidiusq́; ſplendet omni
Gemma. Nam Pietate pulcra mater
Quæ pectus decorat ſuum, ſuum cor:
Et donis decorata maximarum
Virtutum reliquis ſimul refulget.
Idcirco ſocianda ſi marito
Hæc morum probitate conſpicato
In tædas thalami venit pudici,
Coniugem varijs negociorum
Curis implicitum, diesq́; noctes
Quæ vexant ſine fine pectus ægrum,
Mellitis recreat ſonora verbis,
Et triſtes animi fugat dolores.
Quare fœminei decus pudoris
Summum, quæ Mulier cupit videri,
His ornet ſua floſculis neceſſe eſt
Corda: cum ſimul & thronis Olympi
In celſis reſidens requirat iſtos.
Sit Comis, lepidis ſuum maritum
Verbis conueniat: ſit inde Prudens,
Quæ perferre ſciat viri decenter
Mores ingenitos: leuamen atq́;
Quæ curis ferat, & ſiniſtra pellat.
Nec paruum decus eſt ſciens tacere
Coniunx, diſſimulare quæ tacenda
Nouit, ſed loquitur loquenda quæ (ſūt.
Ergo ſit Taciturna: ſit Pudica:
Et vitet vetiti caloris ignes,
Non fœdans temerè torum iugalē,
Sed ſit Caſta, Deum inq́; caſtitate
Effuſis precibus vocet frequenter.
Hinc mentē benè Moribus ſacratis
Exornet. Pietate ſitq́; culta.
Nec, quæ verba ſemel tulit, retra- (ctet:
Sed conſtans maneat fides: voluntas
Compar: mens ſtabilis: loquela fir- (ma.
Talis nunc igitur tibi colende
Quod Caſpare datur virago pulcra
Gaude, lætitijs tuumq́; reple
Pectus. Fœmina nam venit pudica
His ornata bonis, initq́; tecum
Fœdus coniugij iugale ſacri.
Addo Tyndariden colore vincat
Ipſam quòd niueo. Sit educata
Hinc OTTONE viro eruditione
Claro & laudibus eloquentiæ: quem
Iam luget Pomerana gens ademptū.
Hæc curis animum leuabit atris
Preſſum ſola tuum. Sit ergo Sponſa
Semper ſola quies: tuum perenne
Sit deſiderium. Precamur inde
Vt fœlix thalamus ſit, & venuſta
Cum Sponſa diuturna ſecla viuas.

David VVilmannus Stargardenſis.

FOrtè diem Muſis iterum rediſſe putandum eſt,
Qua veniant laſsis omnia læta DEIS.
Cum reſonent magno clangentia tympana plauſu,
Et feriant aures carmina blanda pias.
Iam procul vt noſtro de vertice tartara viſens
Incertis dubius Phœbus oberret equis.
Ac iuga Dardanij luſtret Ganymedis ad Idam:
Hic vbi ſunt rigidis paſcua grata feris.
Eſt aliquid forti quod mentes incitet auſu:
Ecquis at, id præſens qui mihi dicat, erit?
Fallor, an eximij iam rurſus imago recurrat
Facti animo, toties quod meminiſſe iuuet.
Quale vel inſignes cecinerunt carmine Vates,
Quorum Gorgoneis ora rigantur aquis.
Quod Paris in Phrygiæ geſsit conuallibus Idæ,
Quam propè cœruleæ ſunt Simoentis aquæ.
Hic nam iudicium, veluti Iouis ipſa voluntas,
De forma, fuerat, nobiliore tulit.
Anteferens Venerem non æqua lance Mineruæ,
Iunoniq́, Dei quæ Iouis vxor erat.
Erroneæ ſed quæ nocuit ſententia mentis,
Dum præfert animi commoda parua bonis.
Atq́ magis vetitos ſectari geſtijt ignes:
Nobile quam ſtuduit nobilitare genus.
Hei mihi quam ſtatuit ſibi mens contraria ſæpe:
Et magnos ignes fax leuis vna parit.
Hæc dubito an recolent citharis clangentibus, atq́
Victrici recinant læta trophæa Deæ,

Qui tamen ardor ineſt animis, quæ robora membris,
Lætitiæ referunt nuncia certa nouæ.
Sed dum mens tacitè dubitans ſic cogitat intra,
Ecce duæ apparent ore rubente Deæ.
Quas primum vt vidi ſubitò tremor occupat oſſa:
Et paui ſuperas inſcius eſſe Deas.
Vna ſed vt vidit quæ mens mea volueret intus,
Sydereo tales edidit ore ſonos.
Ne timeas iuuenis noſtri gregis alme ſodalis,
Quæ cupis hæc adſum ferre parata tibi.
Sum Dea præſtantum de ſancta ſorte ſororum,
Quæ genus ætherea nobile ſtirpe gerunt.
Non noua lætitiæ noſtræ miraberis orta
Tempora, quæ præſens attulit alma dies.
Eſt quoq; manſuetis requies ſua danda Camœnis:
Nam ſemper ſtudijs inuigilaſſe nocet.
Idcirco nobis licet illa recurrat imago
Quam ſentis, qua non dulcius extat opus.
Sed tamen hac maiora ſacris cantanda Camœnis
Reſtant, quæ gracili voce Thalia feret.
Nunc quia legitimi noſtris benè doctus in hortis
VVergkmannus thalami fœdus inire parat.
Ipſius accinimus gratantia carmina tædis,
Qualia coniugibus ſint adamanda nouis.
Ergo nobiſcum iuuenis lætabere multùm:
Atq; ſimul gratum tu melos ore canes.
Nam nihil eſt quod non meritò laudetur in ipſo,
Si ſpectes vitæ ſingula dona ſuæ.
Hæc ſi fortè tibi non conſtent omnia, quædam
Accipe ſic calamo pauca notata breui.

Vrbs

Vrbs iacet Arctois celebris Prenslouia in oris,
Quam Princeps facili Marchio flectit ope.
Illa viros aluit per tempora multa probatos
Iuſtitia, vera relligione, fide.
Qui genus à priſco duxerunt ſanguine clarum,
Quod VVergkmannorum nomina nota tenet.
Hinc oriundus erat vir pectore fortis, & omni
Andreas morum dexteritate valens.
Qui poſtquam ſacri ſubijſſet fœdera lecti,
Dante Deo hoc lætus pignora multa tulit.
Pignora quæ ſummi cognoſcens dona parentis,
Cura fuit monitis erudijſſe benè.
Ergo quod primum eſt pietatis ſemine natos
Imbuit, & ſemper iuſsit amare Deum.
Cœleſti ſiquidem ſtudium ſine numine felix
Non eſt, ſed quæuis res perit abſq; Deo.
Moribus hinc animos horum formauit honeſtis,
Et fidus monuit dogmata vera ſequi.
Sic Patris egregius monitis Caſparus inhærens,
Pierij ſubijt caſtra nouena chori.
Et citò poſt Viadri petijt memoranda fluenta,
Quà quondam Francis vrbs habitata iacet.
Noſceret vt ſancti ſpacioſa volumina iuris,
Quæ Dea facundo dictat ab ore Themis.
Cumq; amor indomito diſcendi creſceret igne,
Candida Leucoreæ viſit & arua ſcholæ,
Hic vbi vox ſonuit diuini ſancta Lutheri,
Reſtituens orbi dogmata pura Dei.
Atq; vbi doctiſoni celebranda Melanthonis exijt
Muſa, ferens doctis plurima grata viris,

Hic erat Aonidum iucundum carpere flores,
Qui quondam capiti myrtea ſerta darent.
Serta Sigiſmundus tribuit Rex qualia nuper,
Maxima qui gentis ſpes erat vna ſuæ.
Sed nunc quem meritò ſublatum Viſtula luget,
Inclyta quam circum regna Polonus habet.
Quòd ſimul exempto res omnis concidit ipſo:
Vita, ſalus, regni gloria, pax & honos.
Reſtat vt optandum regno Deus addat Aſylon,
Atq; ſalutari Principe firmet humum.
Viuus at iſte dedit Caſparo inſignia docto,
Vt quibus ingenuos nobilitare decet.
Nam meruit virtus, fidei & conſtantia rectæ,
Quam Laſco Domino præſtitit ille ſuo.
Atq; decet Clarijs ſic Muſis reddere ſigna,
Quæ titulos meritò nobilitatis habent.
Nobilitas nam vera genus non iactat auitum,
Quamuis ſit ſtirpis gloria magna ſuæ.
Sed genus exæquat proprijs virtutibus amplum,
Vnde venit maior gloria, maior honos.
Hinc tanti titulos CASPARVS adeptus honoris,
Viſere iam patrij geſtijt arua ſoli.
Hoſpes vbi Legum Doctori gratus Otoni,
Ipſum qui nimium ſemper amauit, erat.
Cuius iam clara Gnatam de ſtirpe creatam
In ſacrum ſociat connubiale ſibi.
Hæc ſunt, quæ nobis ingentia gaudia promunt,
Atq; iubent Sponſo ludere grata nouo.
Sic ait: Acceſsit molli ſed et Altera greſſu
Melliſona referens talia voce ſua.

Noſti

Noſti quæ Sponſi ſint munera nobilis ampla:
Et Sponſæ ſupereſt fulgida dona ſcias.
Pieridum in caſtris celebri prognata parente eſt,
Fautor & Aonij qui fuit ipſe chori.
Hic adiens diæ penetralia celſa Themiſtos
Euoluit iuris nocte dieq́ʒ libros.
Ex quibus addidicit diſcernere falſa ab honeſtis,
Veri perpetuò qui ſtudioſus erat.
Præcipuè illius multùm Pomeranica tellus
Floruit auxilio, conſilioq́ʒ ſtetit.
Huius enim rapidi vox fluxit fluminis inſtar,
Dulcia quæ retulit Neſtoris ora ſenis.
Queis erat vt cinctus donis foris: ædibus ipſe
Sic quoq́ʒ curauit ſingula ritè geri.
Quam Deus idcirco ſobolem donauit ab alta
Sede, pio monuit corde timere Deum.
Moribus ac flexis manſuetis, munera fidus
Officij iuſsit propria quamq́ʒ ſequi.
Hinc Patris vna quies, magnum decus *ANNA* verendi,
Et flos virginei, ſummus honorq́ʒ, chori.
Exemplum cari ſibi multùm imitata Parentis
Aeternum coluit ſimplice mente Deum.
Propterea vitam decorauit moribus æquis,
Ac fugit ſtudio corda ſuperba pio.
Sic quoq́ʒ ſpurcities exoſa obſcænaq́ʒ verba,
Aligeri pepulit tela nociua Dei.
Et caſtam mentem ſeruauit, corpora caſta,
Sollicitans caſtum corde timenſq́ʒ DEVM.
Atq́ʒ licet reliquas hæc vinceret ordine Nymphas
Forma, quæ roſeo tincta colore nitet.

Non

Non tamen hanc alius potuit ſic flectere verbis,
Vt ſpem ſacrati fœderis illa daret.
Sed verecunda ſui metuens mandata parentis,
Sæpe tacens ſoli credidit iſta Deo.
Donec eam fidei Sponſi ſatis ante probatæ
Mandaret moriens, Coniugioq; daret.
Hoc hodie iunctis precibus celebramus ouantes,
Dicimus & Nuptis omnia fauſta nouis.
Vtiq; lætitiæ maioris ſigna fuiſſent,
Si Pater hoc ipſo viueret vſq; die.
Sed terræ mandata quieſcant molliter oſſa:
Spiritus in Domini viuit ouatq; ſinu.
Nos decet interea faciamus munera iuſſa
Quæ vult & verè poſtulat ipſe Deus.
Sint reliqui nunc vana terant, & ludicra tractent:
Eſt animus nobis ſeria facta ſequi.
Idcirco thalamis gratamur proſpera cœptis,
Nullius vt noceat ſæua procella mali.
Felix ter ſit Hymen, felix ſit Hymen quater omnis
Muſa canat: felix ſit ſonet illud Hymen.
Dixerat hæc, mox ſe ſociæ coniunxit amandæ,
Vna nec illarum poſt mihi viſa fuit.
Interea grandes emittit buccina voces,
Magnificos Dominos ad ſacra iura vocans:
Qui Sponſum longa celebrem comitante caterua,
In ſacra deducant templa dicata Deo.
Et Dominas: Nympham quæ pulcram ponè ſequantur:
Ac peragant fauſto ſingula læta die.
Hæc ita cum fierent tacita ſic mente precabar:
Viuite concordes, atq; Valete diu.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE